

## Urkundenbuch der Abtei Sanct Gallen (Ed. Wartmann) Nr. 627

† In nomine sanctae et individuae trinitatis Karolus divina favente clementia imperator augustus. Si cenobiorum monasteriis et servis Dei in eisdem divino cultu integra mente famulantibus antecessorum nostrorum, regum videlicet sive imperatorum, concessa privilegia etiam nostra auctoritate roboramus, plurimum nobis ad aeternam remunerationem regni que nostri stabilitatem prodesse confidimus. Ideoque noverit omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum industria, quia venerabilis vir Hartmodus abba monasterii sancti Galli detulit obtutibus nostris antecessorum nostrorum precepta, avi videlicet nostri Hludowici imperatoris necnon et gloriosissimi genitoris nostri Hludowici regis, in quibus continebatur, qualiter idem supradicti Francorum principes eidem monasterio sancti Galli fratribusque ibidem Domino famulantibus auctoritatis illorum largitate concesserant, ut nullus publicus iudex aut quislibet superioris aut inferioris ordinis persona in ecclesiis sive villis aut locis vel agris eiusdem monasterii ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansiones sive paratas faciendas exigere presumat nec homines tam ingenuos, quam et servos, super terram eiusdem monasterii commanentes per vim distringere aut inrationabiliter audeat inquietare. Et quandocumque abba illius monasterii divina vocatione ex hac luce migraverit, habeant potestatem inter se eligendi abbatem, quamdiu inter illos talis inveniri poterit, qui illud propositum secundum regulam sancti Benedicti bene regere et ordinare prevaleat. Nos quoque eiusdem abbatis postulatione provocati etiam haec omnia nostra auctoritate firmissime roboramus, ut deinceps quicquid huic comprehensum est nostro firmitatis precepto, quod propria manu firmavimus et bullae nostrae impressione constat esse sigillatum, firmum et stabile permaneat nostra firmissima auctoritate roboratum. Signum domni Karoli M imperatoris augusti. Waldo cancellarius ad vicem Liutwardi archicancellarii recognovi et subscripsi. Data id. febr., anno incarnationis Domini DCCCLXXXIII, indictione I, anno vero imperii piissimi imperatoris Karoli II. Actum in villa, quae dicitur Muneresdorf in Dei nomine feliciter. Amen.